HUGO DE SANCTO VICTORE

Österreich, 12. Jh. Seite 50v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26334
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sola panis et uini species cernitur sola ibi
esse panis et uini substantia. uel quia ibi
substantia corporis et sanguinis Christi
creditur. passibilitatem ei inesse secundum speciem et qua
litatem panis et uini que cernitur. quasi
non possit species apparere cuius non assit
substantia. uel substantia latere cuius
non appareat forma.

Quid significent tres portiones ille que de corpore Christi in sacramento altaris fiunt.

Tres portiones que in altari fiunt de
corpore Christi. mysticam significati
onem habent. Est enim corpus Christi uni
uersa ecclesia. caput scilicet cum membris. Et
inueniuntur in corpore isto quasi tres
partes ex quibus totum constat. Una pars
est ipsum caput. Caput enim et caput est et
pars similiter corporis. Itaque caput ip
sum. pars corporis una est. Alia pars cor
poris est in membris illis que iam secuta sunt
caput et sunt cum ipso capite ubi est ip
sum caput. sicut scriptum est. Ubicumque fuerit corpus
illuc congregabuntur et aquile. Illi quoque qui iam de hac uita
exierunt. quorum corpora in sepulcris requies
cunt anime cum Christo sunt. Ista pars corporis
altera. et sunt quasi simul due partes iste ca
put scilicet et hec altera pars corporis. Propterea
in altari due partes seorsum reseruan
tur extra calicem quasi extra passionem. quia et ip
sum caput iam inmortale et inpassibile de
morte resurrexit. amplius non moriturum
neque passurum amplius. et similiter illi
qui de hac uita egressi sunt sancti. et cum ipso
capite suo iam glorificantur et gaudent. ex
pectantes et ipsi resurrectionem car
nis sue et inmortalitatem. iam neque dolo
rem neque passionem sentiunt ullam. et sunt si
mul iste due partes extra calicem quasi extra
passionem. quoniam hec potata transierunt. Tercia
pars in calice ponitur. significans eos qui ad
huc uiuunt in passione. donec et ipsi ab
hac uita exeant. et transeant ad caput su
um ubi amplius nec moriantur nec pati
antur.

Quod corpus Christi quando diuidi uidetur secundum solam speciem diuiditur secundum se integer manet sic in singulis partibus totum sic in diuersis locis unum et idem ipsum est.

Noli autem putare quando partes uides
in sacramento altaris. quasi diuisum
sit uel separatum a se aut uelut per membra
discerptum corpus Christi. Ipse integer ma
net. et in se nec diuiditur. nec partitur. sed tantum
secundum speciem exhiberi oportebat quod ad
mysticam significationem pertinuit. Demonstratur quoque
in forma speciem in qua sensus tuus erudiatur.
et seruatur intus corporis sui incorruptione
in qua unitas eius non diuiditur. Uidetur pars
una et quasi pars esse uidetur. et totum ibi est. Et
pars altera uidetur. et quasi altera uidetur. et
idem est et totum ipsum. et si tercia pars uidetur
similiter idem ipsum est et totum. Totum hic et
totum ibi. nec minus in parte quam in toto nec
maius in toto. quam in parte. Quotcumque par
tes feceris in singulis totum est. Nec mire
ris. opus dei est hoc. Si in diuersis locis
potest esse unus. quare etiam non in singulis
partibus potest esse totus. Utrumque mirum est. sed
non ideo falsum est si mirum est. et uerum est quod mirum
est nec tamen sic mirum est. quia opus dei est. Non est
mirum. si mirabilis mirabilia operatur. Quo
modo in quibus corpus unum eodem tempore in di